



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viator Christianvs Recta Ac Regia in coelum Via tendens**

Soliloquium Animæ. Vallis Liliorum. De Tribus Tabernaculis. Gemitus & suspiria animæ pœnitentis, seu de Vera Compunctione Cordis. Cohortatio ad Spiritualem profectum

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

XXXII. Oratio humilis & contriti spiritus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53320)

CAP. XXXII. *Oratio humilis  
& contriti spiritus.*

*Psal. 24.*

*& 122.*

**A** *D te Domine levavi ani-  
mam meam, qui habitas in  
caelis.*

**Oratio  
per quam  
elegans &  
pia.**

O Domine Deus, qui omnia  
provide ac juste disponis in caelo  
et in terra, cum Angelis et ho-  
minibus, et omnibus creaturis  
tuis: accipe pro magnis laudibus  
et gratificationibus tibi debitis  
omnes tribulationes et angustias  
cordis mei, in vera contritione  
peccatorum meorum tibi modo  
oblatas.

Converte mihi omne malum  
in bonum, et bonum semper in  
melius, pro gloria nominis tui, et  
animæ meæ æterna salute.

Tu scis omnem infirmitatem  
meam, et magnam ignorantiam  
meam, atque quotidianam insta-  
bilitatem memoriæ meæ; quam  
cito vagor huc illuc, longius à te  
sæpissime.

Parce mihi Domine, secun-  
dum multitudinem miserationum  
tuarum, et reduc me citius ad te.

Con-

Conserva cor meum apud te,  
in devota oratione. et sacra me-  
ditatione. die ac nocte, quantum  
mihi est possibile in hoc fragili  
corpore.

2. Cupio placare benignissi- Tres pau-  
mam faciem tuam, muneribus sa- perum o-  
cris et precibus, et præcipue tri- boli Deo  
bus pauperum obolis, Contritio- offeren-  
ne cordis, Confessione oris, et di, Con-  
satisfactione humilis operis. tritio,  
Confes-  
sio, Satis-  
factio.

Domine Deus meus summe a-  
mabilis, memento mei pauperis;  
quia homo sum fragilis, non An-  
gelus sanctus: peccator magnus,  
non innocens Agnus: tepidus o-  
rator, non fervidus contempla-  
tor: Et ideo nec dignus servitor  
tuus; nec inter devotos oratores  
debeo computari, nec videri, nec  
nominari.

Domine mi charissime, acce-  
pta sit tibi obsecro, humilis ora-  
tio mea, et amara contritio pec-  
catorum meorum, pro dulci can-  
tu et jubilatione Angelorum, et  
concordi laudatione omnium  
coelestium civium supernorum.

Verumtamen non despero,  
nec desperabo de venia et misere-

Ti

ne

ricordia tua; quamvis sæpius cado, et gravor in meipso ex infirmitate mea.

Non cesso, nec cessabo à laude tua in vita mea: sed laudabo et magnificabo te, donec ad te perveniat, ô Deus, anima mea. Nam te semper laudare et super omnia amare, summa felicitas est Angelorum et Beatorum in Patre.

CAP. XXXIII. De bona societate cum Iesu & Sanctis eius.

*Psal. 68.* **Q**uarite Deum, & vivet anima vestra.

Nihil melius, nil animæ felicius. Qui aliud quærit, nihil in fine obtinebit.

Iesus ubi quærendus.

*a Luc. 1.*

*b Matt. 2*

*c Luc. 2.*

*d Luc. 10.*

*e Ioan. 20*

Si ergo vis habere bonum socium pro solatio, quære Jesum cum pastoribus in præsepio; *a* aut cum sanctis Magis in Matris gremio; *b* aut cum Simeone et Anna in templo; *c* aut cum Martha in castello; *d* aut cum Maria Magdalena in sepulchro; *e* aut cum Apostolis in cœnaculo;

*f ad*